



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Alferus Abb. 12. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

12. April. VITÆ SANCTORVM. 189
signibus, cœnobium sui vatis monumento super-
struxit, in quo corpus ejus quiescenti quàm mor-
tuo similis inventum est. *Ex Sur. & Lipp.*

*Ne cesse est, ut illic dentibus strideant, qui hîc edaci-
tate gaudebant: illic ab iis irremediabiliter plangitur, à
quibus hîc voluptuosè ridetur; qui que hîc olfaciunt ni-
dotes aromatum, illic eos sulphureus fœtor excruciat, &
tetra piceï fumi caligo circumdat. S. Dam. l. 8. ep. 6.*

S. ALFERUS ABB. 12. Aprilis.

Patria ALFERO Salernum, schola Principis il-
lic aula fuit. Ex hac ad regem Germanorum
Legatus feliciter è viâ aberravit, & ad Regem
Regum in cœnobium Cluniacense deflexit. Inde
melior jam ad patriam Legatus monachis illîc
præfuit, & Cavense Asceterium condidit. Ibi mali
dæmonis invidiâ ex altissimo monte præceps de-
jectus, risit incolumis veteratorē, altius olim nec
tam impunè cadentem. Incolam saxo obtritum à
sociis in oratorio suo id noctis voluit deponi;
mane deinde vespillonibus funus quærentibus
hominem restituit. Quina ova cùm essent, sed
septem hospites, sine fraude, sed non sine miracu-
lo, & fortè cum risu singula singulis attribuit. Va-
tes plurimis aliis fuit, ipse mortis suæ vatem longè
nobilissimum Christum habuit, qui sexto die prius
quàm obiret, ALFERVM ad cœnam invitavit: con-
dixit lubens, & quò famem opsonaret, jejunos ve-
nit. Miracula mortuus continuavit, ex multis
unum illis narrabimus, qui ex Veneris harâ ad
Numinis aram accedunt, & heu! impurati epulo
divino inter virgines mentes Angelos accum-
bunt. Fuit qui quoties sacram mensam frequen-
tare parabat, somniorū intemperie absterreretur.

Eam

Eam maculam etsi nullâ suâ culpâ contractam, cum precibus, jejuniis, confessione semper elueret, redibat tamen ad invitum illa, & etsi scelus non esset, videbatur tamen esse. Tandē dormienti adstiterē ALFERVS visus est, & fonti admotum sanctioribus undis lustrare, jamque contra Stygis ejuscemodi vulnera eximium facere. O similis, inquis, fons mihi curreret! At si oculos habes, binos domi habes.

Altaria Domini non alienum sed divini duntaxat Amoris ignem accipiunt. Quisquis igitur carnalis illecebra ignibus aestuat, & sacris assistere mysteriis non formidat, sicut nunc aestuantis luxuria flammâ decoquitur, ita postmodum gehennæ incendiis consumetur.
S. Pet. Dam. l. i. ep. 6.

S. JUSTINUS M. 13. Aprilis.

JUSTINVS Philosophus Palæstinâ oriundus, literarum amator, varias in Philosophiâ sectas amplexus, Platoni tandem auscultare cœpit. Declinaverat fortè populi turbam, cum nescio quid ad mare secum meditatus, in hominem incidit, à quo immortalitatem & supplicia animorum edoctus, Christianam veritatem aspexit, eandemque adversus hostes acerrimè tutatus est, sanguinis & vitæ prodigus. Multa Judæi Gentisque adversum Christi cultores machinabantur, quorum causam apud Cæsarum subsellia magnâ dicendi libertate tutatus, illud impetravit, ut Christiani deinceps, nisi maleficii convicti essent, innoxii viverent. Nobilis ingenii monumentum hodieque legitur; gloriæque est bonis literis hanc piam operam Christo Romæ impendisse, ubi melior nunquam causa acta est, etsi optimo ejus Patrono sanguine